Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0001-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0002-2

17
566
1784, 2

# DE LEVIS NOTAE MACVLA SECVNDVM IVS GERMANICVM

DISSERTATIO

QVAM

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO*

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE

ET DOMINO

DNO FRIDERICO II

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQVA

*ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE*

PRO

*LICENTIA*

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

RITE CONSEQVENDI

AD DIEM NOVEMBR. MDCCLXXXIV

PROPOSVIT DISPVTANDAM

IOANNES FRIDERICVS PLITT

RINTELIA HASSVS.

MARBVRGI CATTORVM

EX OFFICINA BAYRHOFFERIANA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0003-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0004-4

LIBERAE . S. R. I. REIPVBLICAE
MOENOFRANCOFVRTENSIS
SENATVI . SPLENDIDISSIMO
VIRIS
PERILLVSTRIBVS . MAGNIFICIS
GENEROSISSIMIS . CONSVLTISSIMIS
PRVDENTISSIMIS . GRAVISSIMISQVE
PRAETORI
CONSVLIBVS
SCABINIS
SYNDICIS
SENATORIBVS
ET . NOVEM . EX . HIS . QVI
AVGVSTISSIMO . IMPERATORI
SVNT . A . CONSILIIS
PATRONIS . AC . FAVTORIBVS
OMNI . REVERENTIAE . CVLTV . SVSPICIENDIS

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0005-9

PERPETVAM . FELICITATEM
INCOLVMITATEMQVE
PIE . PRECATVS
HOC . INAVGVRALE . SPECIMEN
SOLLEMNI . FORMVLA

D. D. C

TANTIS : NOMINIBVS

ADDICTISSIMVS
IOANNES . FRIDERICVS . PLITT

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0006-5

Etſi mihi propoſitum non eſt, interpretari hoc loco l. 27. C. de inoffic. teſtam., in quam iuris IVSTINIANEI compilatores binas Imperatoris CONSTANTINI leges, videlicet C. THEOD. eiusdem tit. numero primam et tertiam conflarunt interpolatas; argumenti tamen tractandi ratio facit, vt aliquid moneam aduerſus ſententiam eorum, qui perinde ac ſi in his conſtitutionibus de infamia tantum iuris et facti ſit oratio, perperam inde tertium quoddam ignominiae genus, leuis notae maculam, exſculptum arbitrantur. Quid enim? nonne iam ſua aetate VLPIANVS *ſpurios* ait *et re et vita honeſta* i. e. infamia facti haud laborantes, in ordinem decurionum recipi poſſe, *modo non habeant competitorem legitime quaeſitum*, hunc enim eis eſſe praeferendum; neque id *ſordi ordini futurum*, quum vtilitatis illi cauſſa recipiantur. §. 2. l. 3. D. de decurion. Quid? quod PAPINIANVS pr. l. 6. eiusd. tit. ſordem eiusmodi inſuper habens etiam ex inceſtu natos hac eleganti admiſit ratione, *quia non impedienda eſſet dignitas eius, nihil qui admiſiſſet.*

Mouent vero inprimis verba CONSTANTINI in l. 3. actionem inofficioſi fratribus concedi tum, cum inſtitutus heres vel infamiae vitio laboret, vel propter turpitudinem aut *aliquam leuem notam* capere non poſſit; ideoque in cauſſa propoſita, *liberto herede inſtituto*, querelam dandam eſſe fratribus, voluntas vt reſcindatur eius, qui talem ipſis praetulerit perſonam. Num ingratus ille intelligatur libertus, non iam diſputo; ſatis eſt monuiſſe, iam olim conqueri potuiſſe fratres, quibus vel pro nullo qui haberetur, vel in communione non eſſet municipii, praelatus fuiſſet. l. 24. et l. 31. §. 1. D. *de inoffic teſt.* Quare recte mihi videor ſtatuere, ipſis Romanorum legibus inter turpitudinem ſiue infamiam et leuis notae maculam diſtingui, ita vt alii eſſent turpes, infames, alii leuiter tantum notati. Quod autem ad perſonas turpes infamesque attinet, iis recenſendis ſuperſedeo; praeterquam enim quod vberius de illis exponitur in compendiis Pandectarum, otium mihi plane fecit HEINECCIVS cum in comment. ad L. IVL. et PAP. tum in diſſ. de leuis notae macula. Leuiter vero notati qui fuerint, etſi ex his, quae ſupra dixi, fere intelligitur, commemorandi tamen praeterea ſunt liberi perſonarum turpium infamiumque. Neque hanc maculam in opinione honeſtorum tantum virorum, ſed in ipſis legibus fundari, egregie ac ſolide, vt ſolet, aduerſus HEINECCIVM probatum iuit Vir omni mea laude maior, Perilluſtris ac Generoſiſſimus Liber Baro DE SELCHOW in diſſ. de infamia ſect. 1. §. 5.

2. Quum igitur leuis notae macula liberis hiſtrionum, ſpuriis aliisque illegitimis adſpergeretur; facili etiam negotio eiusdem intelligitur effectus, vt perſonae eiuſmodi non ſolum omni cum ſenatorum familiis connubio arcerentur, in dignitatibus aliis legitime quaeſitis poſtponerentur, ſed etiam hereditate praeteritis fratribus conſanguineis priuaren-

uarentur. Quod fratres conſanguineos tantum nominaui, conſulto id quidem factum eſt, controuerſiam enim num in fratres vterinos etiam iure romano, ſaltim recentiori, cuius rei argumentum eſſe volunt Nou. 118., quo loco ius ſucceſſionis ab inteſtato iisdem conceditur — ius legitimae cadat, lubens praetermitto, aliorumque acumini diſcutiendum relinquo. Graecos ſane atque in his THALELAEVM hoc diſcrimen inſuper habuiſſe obſeruat IAC. GOTHOFREDVS ad l. 1. C. THEOD. *de inoffic. teſtam.*, licet adhuc dubitem, quin argumentum iſtud a ſucceſſione ab inteſtato ductum etiam in hoc caſu, de quo nobis ſermo eſt, ad ius legitimae poſſit applicari.

3. Verum haec ὡς εν παροδῳ dicta ſunto, quum quicunque iura patria primis tantum labris deguſtarit, e Romanorum de leuis notae macula placitis, partim ob diuerſa coniugalia iura, partim ob ſeueriores imperii prouinciarumque contra meretrices leges, parum ſane vtilitatis ad nos redire poſſe, vel me non monente intelligat. Operae tamen pretium facturus mihi videor, ſi idem argumentum ex iuris germanici principiis, pro virium ingeniique modulo, tractauero, ita quidem, vt praetermiſſis friuolis eruditorum ea de re nugis, contortisque argutiis et nullius frugis controuerſiis*) in ea ſolum, quae Germanorum legibus moribusque conueniant, quam fieri poteſt, breuiter inquiram.

4. Sed ante omnia vera et genuina leuis notae maculae inter Germanos notio exhibenda nobis erit; quam equidem hanc eſſe puto, vt ſit *contemtus publicus, cum iactura certorum iurium ciuilium.* Contemtum *publicum* eam eſſe, qui ad

*) In compendio eas exhibet laudatus *Heineccius* l. c. §. 28 ſeq.

ad ſequentia diligentius attenderit, haud facile ibit infitias. Nam in eum adducti omnibus aliis in Germania poſtponuntur, et plerisque priuilegiis ciuilibus priuantur. *Publicum* appello hunc contemtum, quod adiuuetur legibus; plebem enim, niſi leges, numquam praeiudicatis eiusdem opinionibus patrocinantes, id permiſerint, exponere illi neminem poſſe per ſe patet. Quanta autem iſte contemtus ſecum ferat mala atque incommoda, nae illi probe ſentiunt, qui cum eo conflictantur, quum leuis notae macula laborantes omnibus fere, quibus alii fruuntur, iuribus ciuilibus careant, qua de re plura dicendi infra erit locus. Iura ciuilia hoc loco appello, quibus ex legum vi atque fauore ciues gaudent. Falluntur ergo, qui iſtam iurium ciuilium amiſſionem, leuis notae maculae comitem, ex ſolo contemtu publico deriuare conantur. Quum enim non ſolum rationes politicae, ſed leges quoque terminum decretorium aliaque, quae normae inſtar ſunt, ſuper ea re conſtituant, et haud raro vniuerſum quoddam hominum genus, et ciues quoque, iuribus quibusdam ciuilibus certo inprimis loco adſtrictis, priuent, leuis notae maculae nec vola nec veſtigium in ea re deprehenditur. Id quoque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe arbitror, leuis notae maculam non omnium omnino priuilegiorum ciuilium, vt nec illorum, quae ex aliorum pendeant exiſtimatione, iacturam neceſſario complecti; quam priuationem limitatam, leuiter iam a me tactam, fuſius infra declarandi animus eſt. Haec vero ad comprobandam, quam de leuis notae macula attulimus, notionem ſufficiant.

5. Infamiam igitur a leuis notae macula immane quantum diſcrepare, ex his quae modo diximus, facillimum erit intellectu. Illam enim bonae famae, id vero eſt, omnium integrae exiſtimationi annexorum iurium ciuilium, clades ſequi-

ſequitur *), haec vero nec amiſſionem exiſtimationis inter alios comitem habet, nec, quae ab illa pendent, iura qua talia tollit, quamuis inter iacturam, quam infamia efficit, eamque, quae a leuis notae macula proficiſcitur, parum interdum intereſſe haud negauerim. Egregie igitur errant, qui auctoritate quorundam leuis notae maculam infamiae ſpeciem arbitrantur, et *infamiae minoris* nomine compellant, aut cum clariſſimis quibusdam viris, infamiam facti, neſcio quam, ea re indicare volunt. Quod quam ſit abſonum, compluribus iisque grauiſſimis probari poteſt argumentis. Primum enim infamia ſaepius loco poenae, integrae adhuc famae aliquem dehoneſtantis eſt; quum leuis notae macula innocentibus, ne minimi quidem delicti reis, adhaereat. Deinde illa quidem nonniſi abolitione aut famae reſtitutione, haec vero ſola praeuia ad honores legitimatione abſtergeri poteſt. En tibi non nominis ſolum, ſed rei differentiam! Ne igitur leuis notae maculam cum infamia facti confundas, id vero monere, ſuperuacaneum duco. Quum vero eam rem altius repetere, alienum ſit a meo inſtituto, id certe largiri mihi videntur, qui pro infamia facti **) pugnant, continuata ſolum delicti conſuetudine, quae ſummam apud bonum et honeſtum quemque ignominiam parit, inferri illam poſſe. Quod ipſum grauem et putidum errorem, infamiam facti cum leuis notae macula permiſcentium ſatis arguit.

6. Iam primum an exiſtat ſecundum iura Germanorum leuis notae macula, dicere non attinet, quum certum habe-

*) cf. L. B. *de Selchow*, Diſſ. de infamia. Sect. I. §. 2.

**) More ſuo, hoc eſt, ſolidiſſimis argumentis ex iurisprudentia eam profligauit Perilluſtris ac Generoſiſſimus Liber Baro *de Selchow*, l. c. §. 3 et 4.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0011-2

habeam ſi perſonas, quibus iura patria illam adſpergant, eiusdemque effectus ab iisdem conſtitutos, nominauero, haud facile quemquam eam rem in dubium vocaturum eſſe.

7. Quodſi vero in diiudicanda quaeſtione, quinam ſint, quibus inurant iura Germanorum leuis notae maculam, accurate velimus verſari, praeiudicatas vulgi opiniones legumque placita probe diſcernamus neceſſe eſt. Maximum enim hominum, ex ſententia plebis, leuis notae macula laborantium numerum, hiſtoria, quin ipſae etiam imperii prouinciarumque leges ſuppeditant, cui rei cum ſordidum vitae genus, cui plerique eorum ſe dediſſent, tum vero etiam ea res originem dedit, quod opifices artificesque haud pauci in ſodalitates coire recuſarent, quapropter quum ſodalitates tantum honeſtae exiſtimarentur,*) ſtatim, licet manifeſto errore, pro leuis notae macula conſpurcatis haberi coeperunt. Quo factum eſt, vt non ſpurii ſolum et pellium detractores, ſed et porcorum exſectores, muſici circumuagantes, carnifices, lictores, quinimo veſpillones, ſandapillarii, pictores, coqui, numularii, pannifices, opiliones,**) textores, tonſores, balneatores,***) molitores,****) — quorum filii iam Caroli Magni temporibus

a

*) Id indicat paroemia: *Gaffeln vnd Aemter müſſen ſo rein ſein, als wenn ſie die Tauben geleſen haetten.* cf. *J. Fr. Eiſenhardt, Grundſäze der deutſchen Rechte in Sprüchwörtern*, p. 60 ſeq.

**) Hinc prouerbium: *Schaefer vnd Schinder ſind Geſchwiſterkinder. J. Fr. Eiſenhardt*, l. c. pag 90 ſeq.

***) Neglectis priuilegiis, quae *Sigismundo* Imperatori debent. *G. H. Fricke, Grundſäze des Rechts der Handwerker*, p. 19. n. a.

****) Fuerunt etiam, qui vere infames illos exiſtimarent, vnde tritum illud: *Der Müller iſt from, der Haare auf den Zähnen, vnd auf*

*der*

a beneficiis eccleſiaſticis eſſent excluſi, *) buccinatores aliique, pro vilibus notatisque perſonis a plebe aeque ac doctoribus, hic ſaltim non vltra plebem ſapientibus, haberentur. **)

8. Verum iam antiquiores exſtant leges, quae ſtolidis vulgi praeiudiciis de perſonis commemoratis aduerſentur. Quo referenda eſt Ordinatio politica anni 1548. tit 37. ***) *Als auch an etlichen Orten der Gebrauch iſt, daß die Leinweber, Barbierer, Müller vnd dergleichen Handwerker in den Zünften, zu andern, dann ihrer Eltern Handwerken nicht aufgenommen noch gezogen werden, vnd aber je vnbillig, daß diejenigen, ſo eines ehrlichen Herkommens, Handels vnd Weſen ausgeſchloſſen werden ſolten, ſo wollen wir ſolche beſchwerliche Gebräuch vnd Gewohnheiten hiemit aufgehebt vnd vernichtiget haben: Sezen, ordnen vnd wollen demnach, daß die Leinweber, Barbierer, Schäfer, Müller, Zöllner, Pfeiffer, Trummeter, Bader vnd die, deren Eltern, davon ſie geboren ſind, vnd ihre Kinder, ſo ſie ſich ehrlich vnd wohl gehalten haben, hinführo in Zünften, Gaffeln, Ampten vnd Gilden, keineswegs ausgeſchloſſen, ſondern wie andere redliche Handwerker aufgenommen vnd darzu erzogen werden ſollen. &c.* Eadem prorſus verba occurrunt in Ordinat.

 polit.

*der Zungen hat.* *J. Fr. Eiſenhardt*, l. c. pag. 87 ſeq. Omnibus vero eiusmodi ex praua vulgi conſuetudine ortis paroemiis auctoritatem legalem minime tribuendam eſſe ſatis conſtat. *G. A. Kind* de iurisprudentia Germanorum paroemiaca eiusque cauto vſu. Lipſ. 1776. §. 10.

*) *Hertius*, lib. 1. paroem. 13.

**) *Heineccius*, l. c. §. 29. 30.

***) In Corp. Receſſuum, T. II. p. 605.

polit. anni 1577. tit. 38. *) et vtrumque hoc edictum repetitur in concluſo Imperii de tollendis moribus prauis apud opifices obuiis, d. a. 1731. **) vbi art. 4. haec praecipiuntur: *Demnach auch albereits in der Polizeiordnung v. J. 1548. lit. 37. and 1577. lit. 38. wegen gewiſſer Perſonen verſehen, daß deren Kinder von den Gaffeln, Aemtern, Gülten, Innungen, Zünften vnd Handwerkern nicht ausgeſchloſſen werden ſollen; als hat es dabei ſein feſtes Bewenden, vnd ſollen berührte* conſtitutiones *künftig durchgängig genau befolget, nicht weniger auch die Kinder derer Land-Gerichts- vnd Stadtknechte, wie auch derer Gerichts- Frohn- Thürn- Holz- vnd Feldhüter, Todten-Gräber, Nachtwächter, Bettel-Vögten, Gaſſen-Kehrer, Bach-Feger, Schäfer vnd dergleichen,* in Summa *keine Profeſſion vnd Handthierung, dann blos die Schinder allein, bis auf deren zweite Generation, in ſo ferne allenfals die erſtere eine andere ehrliche Lebens Art erwählet, vnd darinne mit denen ihren wenigſt 30 Jahr lang continuiret hätten, ausgenommen, verſtanden vnd bei denen Handwerkern ohne Weigerung zugelaſſen werden.* Denique ad illam ipſam rem facit nouiſſima lex ſiue imperii concluſum anni 1772. Promulgauit Auguſtiſſimus per Decretum commiſſionis d. d. 30 April. illius anni declarationem ad ſuffragia imperii d. d. 15. Jul. 1771. et

3.

*) In Corp. Receſſ. T. III. p. 397.

**) In Corp. Receſſ. T. IV. pag. 379. Corp. iur. publ. *Schmaus*, p. 1377. ed. nouiſſ. d. a. 1774. Adiicit quoque hoc concluſum *I. G. Sieber*, libello ſuo: *Abhandlung von den Schwierigkeiten in den Reichsſtädten das Reichsgeſez vom 16. Aug. 1731. wegen der Misbräuche bei den Zünften zu volziehen. Goslar vnd Leipzig* 1771. De cuius occaſione cf. *Fabers Staats-Kanzlei*, P. 57. c. 20. P. 58. c. 17. P. 59. c. 18. P. 60. c. 17. P. 61. c. 16.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0014-9

3. Febr. 1772.*) huius quoad paſſum concernentem tenoris: 5) *Die in dem wegen der Handwerksmisbräuche im J. 1731. ergangenen Reichsſchlus enthaltene Verordnung, wegen Ausſchlieſſung verſchiedener Perſonen von Zünften vnd Handwerkern allerdings dahin zu erſtrecken vnd zu erklären, billig vnd nüzlich ſeie, daß, nebſt denen art. 4. daſelbſt benannten vnd andern Perſonen, deren Kinder vnd Abkömlinge vormals von den Zünften vnd Handwerkern ausgeſchloſſen, nachhero aber als hierzu angeſehn, vnd deren Zulaſſung geboten worden, nunmehro ein gleiches für die Kinder der ſogenannten Waſenmeiſter vnd Abdeker (denn von denen vorhin von denen Handwerkern, Gilden vnd Zünften nicht ausgeſchloſſenen Scharfrichterskindern hier die Frage nicht wäre) zu geſtatten, vnd dergeſtalt zu verordnen ſei, daß die Kinder vnd Abkömlinge ſolcher Leute, welche dieſe verwerfliche Arbeit noch nicht getrieben haben, noch treiben wollen von denen Handwerkern vnd andern ehrlichen Geſelſchaften vnd Gemeinheiten, nicht auszuſchlieſſen, mithin die Söhne von denen Handwerksmeiſtern, ohne daß es einer disfalſigen legitimation bedürfe, gleich andern redlichen Leute Kindern vnbedenklich in die Lehre zu nehmen, vnd für Handwerks- auch der Meiſterſchaft fähig anzuſehen ſeien; die Töchter aber, ohne zu beſorgen habenden mindeſten Vorwurf ſich an Handwerkleute vnd andere ehrliche Perſonen verheirathen können; wonebſt auch iene, welche die verabſcheute Arbeit ihrer Eltern vnd Vorfahrer würklich getrieben haben, ſolcher aber ſich entziehen wollen, von den Handwerksinnungen auch nicht auszuſchlieſſen, vnd nach deren von Kaiſerl. Majeſtät oder aus Kaiſerl. Gewalt, auch der Landes- oder Orts-* B 3 *Obrig-*

*) Exſtat in Repertorio *des Staats- vnd Lehnrechts von G. Scheidemantel, herausgeg.* 2 *Th.* pag. 409. ſeq. cf. quoque Corp. iur. publ. *Schmaus.* ed. nouiſſ. pag. 1646 ſeq.

*Obrigkeit beſchehener Ehrenhaftmachung, ſothaner Landes- oder Orts-Obrigkeit vorbehalten bleibe, wegen ihrer darauf folgenden Auf- oder Annahme vnd derer Bedingniſſe das dienliche zu verfügen.*

9. Ex quibus omnibus legumque imperialium haud dubia voluntate patet, neminem, cuiuscunque ſit tandem ordinis, opificii vel artis, ſi *ſolos* excoriatores exceperis, leuis notae macula laborare. Etenim iſta concluſi verba d. a. 1731. §. 4. *in ſumma keine Profeſſion vnd Handthierung dann blos die Schinder allein;* omnes omnino, qui excoriatores non ſint, ad collegium debere admitti, ſatis clare teſtantur. Neque cuiquam, niſi carnifici, Doctores id denegare audent. Nam quod nonnulli de carnificum liberis ſomniant,*) id vt alia taceam, imperii concluſo anni 1772. optime refutatur, quum quae ibi in parentheſi occurrunt verba — *dann von denen vorhin von denen Handwerkern, Gilden vnd Zünften nicht ausgeſchloſſenen Scharfrichterskindern hier die Frage nicht wäre* — nihil prorſus dubii relinquant. Fundamento tamen non carent, quae de carnificibus et premente illos leuis notae macula nonnulli praecipiunt. Audiamus inter alios Meistervm, Virum poſt fata celeberrimum, in libro *Volſtändige Einleitung zur peinlichen Rechtsgelehrſamkeit*, T. I. ſeu alio titulo *Ausführliche Abhandlung des peinlichen Proceſſes in Teutſchland*, T. I. Cap. 6. §. 11. hac de re differentem, omniaque huc quae pro ſententia ſua reperire potuit, transferentem. *Mit der Einführung der fremden Rechte, beſonders des römiſchen, hat*

*) Omnino cf. quae quondam hac de re Francofurti diſputata ſunt, in *Allerunterthänigſtem* libello grauaminum *in Sachen der* Phyſicorum ac Doctorum Med. *zu Frankfurt* contra *des daſigen Scharfrichters Sohn Joh. Mich. Hoffmann vnd den daſigen ganzen Rath.*

*hat man in Teutſchland auch die darinn enthaltene Begriffe von der Verächtlichkeit des carnificis angenommen vnd auf vnſere Scharfrichter angewendet. I. Bei den Römern durfte der carnifex kein Bürger ſein: in Teutſchland pflegt man zwar dem Scharfrichter das Bürgerrecht, weil es nicht von der Wichtigkeit des römiſchen iſt, nicht zu verſagen; indeſſen wird er doch nicht in die Zünfte aufgenommen. Die Gewohnheit alle verſchmähete Perſonen von den Zünften auszuſchlieſſen, iſt in Teutſchland auch in Anſehung des Scharfrichters dergeſtalt ſorgfältig beibehalten worden, daß demſelben die Aufnahme nur alsdann verſtattet wird, wann er ſein Amt niedergelegt hat, vnd durch einen Gnadenbrief von ſeiner Schmach befreiet worden iſt. Das Daſein dieſer Gewohnheit leidet vm ſo weniger einen Zweifel, als ſie in den meiſten Artikels- vnd Gilde-Briefen durch eine beſondere Clauſel, pflegt beſtätigt zu werden. Hingegen erſtreckt ſie ſich nicht auf die Weiber vnd Kinder der Scharfrichter. Denn da in dem Reichsſchlus von 1731. §. 4. nur die Schinderskinder bis zum zweiten Glied von den Zünften vnd Handwerken ausgeſchloſſen ſind, vnd es der natürlichen Billigkeit gemäs iſt, daß die Kinder an der Schmach vnd Schande ihrer Eltern keinen Theil nehmen, ſo hat man ſich ſowohl von Seiten der Landesherren, als der Richter, dem ausſchweifenden Beginnen der Zünfte, die Ausſchlieſſung auch auf dieſe zu erſtreken, beſtändig widerſezt. Daher zweifelt auch niemand, daß die Söhne eines Scharfrichters Künſte und Wiſſenſchaften treiben, zu akademiſchen Würden gelangen, die Töchter ſich an ehrliche Handwerksleute ohne deren Nachtheil, verheurathen, die Kinder aber überhaupt Geburtsbriefe erhalten können; obgleich viele Rechtsgelehrte nicht ohne Grund behaupten, daß in dieſen mit Auslaſſung der Worte:* von ehrlichen Eltern, *nur bezeugt werden müſſe,*

*daß*

*daß ſie aus richtig volzogener Ehe gebohren wären: andere aber, jedoch ohne hinlängliche Urſache dergleichen Geburtsbriefe nicht zulaſſen wollen. II. Die Römer duldeten den* carnificem *nicht in den* concionibus; *vnd die Teutſche ſchlieſſen den Scharfrichter von den Verſamlungen vnd Zuſammenkünften ehrbarer Leute aus. Doch ſind die Gewohnheiten nicht überall einerlei. Denn an manchen Orten pfleget dem Scharfrichter in der Kirche ein eigener Stand angewieſen zu werden, damit er ſich nicht vnter die andern Leute miſche, vnd ihnen beſchwerlich falle; vnd er findet ſich weder in den Wirths-Häuſern, noch bei Hochzeiten vnd andern gleichen Verſamlungen ein, vnd diejenigen, welche ihn in ſeiner Geſelſchaft leiden, nehmen an ſeiner Verächtlichkeit Theil: beſonders wenn ihm zugleich die Abdeckerei verliehen iſt, oder er ſelbſt bei den Henker- vnd Abdecker-Arbeiten Hand anlegt. Dahingegen in vielen Städten, die Bürger ohne Verlezung ihrer Ehre mit dem Scharfrichter, der nicht zugleich den Henker vnd Caviller vorſtelt, häufigen Umgang pflegen. III. Nach der Reformation guter Policei v. J. 1530. tit. 21. von Nachrichtern, ſoll eine jede Obrigkeit ein fleiſiges Einſehen thun, daß ſich die Züchtiger, Nachrichter vnd Feldmeiſter oder Abdecker mit ihrer Kleidung tragen, damit ſie vor andern erkant werden. Welche Verordnung aber in den wenigſten Provinzen im Gebrauche iſt. In dem Chur-Brandenburgiſchen müſſen die Scharfrichter vnd Schinder dunkelgraue Kleider mit ſolchen Knöpfen vnd rothe ſpizige Hüte tragen, wobei ihnen der Gebrauch des Seiten-Gewehr zugleich vnterſagt iſt. Anderwärts müſſen ſie ſich grün oder roth kleiden; im Eiſenachſchen darf ſich der Nachrichter keines Degens, ſondern nur eines kurzen Schwerds bedienen. IV. Die R. Verfügung, daß keine ehrloſe oder verächtliche Perſonen eines öffentlichen Ehrenamts fähig ſein ſolten, gilt auch in Anſehung des*

*Scharf-*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0018-1

*Scharfrichters bei den heutigen Teutſchen.* V. *Nach der Meinung der mehreſten Rechtsgelehrten kan auch ein brüderliches Teſtament wegen der Erbeinſezung eines Scharfrichters als* inofficioſum *zernichtet werden.* VI. *Gemeiniglich mus der Scharfrichter wegen der ihm zugleich verliehenen Schinderei auſſer der Stadt wohnen. Wann man nun alle dieſe der Ehre des Scharfrichters höchſtnachtheilige Verfügungen betrachtet, vnd dabei in Erwägung ziehet, daß einige davon ſich auf die ausdrücklichen Geſeze gründen, andere in offenbahren Gewohnheiten, nicht aber in einer vnvernünftigen Einbildung des gemeinen Volcks beſtehen: vnd mit dem R. Rechte zugleich auch die R. Begriffe von dem Amte vnd Stande des Scharfrichters eingeführet worden ſind; ſo iſt wohl der Schandflek, welchen man* leuis notae maculam *nennet, der dem Scharfrichter ſowohl als dem Henker vnd Abdecker, obgleich in einem viel geringeren Grade, vnd an einem Orte mehr als am andern, anklebet, auſſer Zweifel geſezet. Dagegen die Zweifelsgründe einiger Rechtsgelehrten vm ſo weniger eintreten können, als ſie theils auf die Infamie abzielen, welche doch in Teutſchland dem Scharfrichter niemals hat aufgebürdet werden wollen; theils hauptſächlich von der Unbilligkeit dieſes Schandfleks reden; deſſen Tilgung zwar dem Scharfrichter wohl zu gönnen wäre, aber nicht von dem Richter, ſondern von dem Geſezgeber abhängt.* Hactenus MEISTERVS; in cuius argumentis excerpendis ideo fuimus diligentiores, vt, quanticunque ſint ponderis primum ſuper illis ipſis, deinde ſuper iis etiam, quae contra monere conabimur, liberum et integrum cuiuis eſſet iudicium.

10. Id quidem quod ne tirones quidem in iuris ſcientia ignorant, primo loco notandum nobis eſt, carnificem ab excoriatore quam maxime differre, in quo et ipſum MEI-

STERVM conſentientem habemus. Illud vero diſcrimen quale ſit, breuiter ac ſolide explicauit Perill. ac Generoſiſſ. L. B. DE SELCHOW in diſſ. ſaepius iam excitata nunquam ſatis laudanda, Sect. II. §. 11. ibi: „Ac primum quidem omnium probe diſtinguendi ſunt *carnifices* quos vocamus, (*Nachrichter* vel *Scharfrichter*, qui decollandis tantum reis adhibentur, in actu torturae et poena ſuſpendii vero tantum directorium habent, ab illa hominum faece, quos excoriatores, *Schinder*, *Caviller* nuncupamus, qui cum deglubendis pecoribus, tum torquendis, fuſtigandis, excruciandis, vel ex infelice arbore ſuſpendendis hominibus operam infauſtam locant.“

**II.** Executio poenarum capitalium et corporalium, hiſtoria legibusque Germanorum medii aeui teſtibus, tantum abeſt, vt miniſtros eius dedecore adfecerit, vt potius honeſtum et ab omni labe immune, quin imo interdum religioſum ſacrumque fuerit negotium. Argumento huius rei eſt, quod apud nonnullos moris fuit, vt non tantum quidam e ſenatoribus vel ciuibus — natu minimus vt plurimum — quod etiam vocabulo germanico *Nachrichter* originem dediſſe haud paucis videtur, ipſe, qui erat offenſus, atque adeo religioſi et perſonae illuſtres eo munere fungerentur, ſed et ſingulari atque honorifico nomine *der Fronbotten*, carnifices appellarentur. Egregium huius rei teſtimonium exſtat in gloſſa ad lib. 3. art. 55. iur. prou. Saxon. *Ein Frohnboth* — verba gloſſatoris ſunt — *heiſt ſo viel als ein heiliger Bothe oder Knecht Gottes, vnd er mag die Leut ohne Sünd wohl peinigen vnd tödten. — Siehe nun wohl zu, du Fronbot oder Scharfrichter, daß du den Namen mit der That habeſt, vnd ſei gerecht, da du wirſt heilig genannt.* Caeterum hoc ſenſu OTFRIEDVM Euangel. I. 5. 66. Gabrielem Angelum *Boten-Frone* i. e. nuntium ſacrum, ipſum-

ipſumque Chriſtum *Gotes-Frone*, Sanctum Dei III. 16. 6. vocare, animaduertit HEINECCIVS. Quae omnia ab aliis ſatis expoſita indubitataque, longius hic perſtringere lubenter ſuperſedemus.

12. Controuerſia igitur omnis in eo poſita eſt, vtrum Germani inſequenti tempore poſt receptum ius romanum, atram de carnifice amplexi ſint ſententiam, ita quidem, vt non plebs tantum, ſed et legislatores in conſtitutionibus ſuis, aut obſeruantia, legali auctoritate gaudens, leuis notae macula eundem adſperſerint? Atque illud ipſum eſt, quod, ſi quid iudico, MEISTERVS argumentis minus commodis eſt conatus. Certe eo dementiae neminem facile progreſſurum eſſe arbitror, vt quicquid in Romanorum legibus de romano carnifice ſtatuitur, ad noſtros carnifices transferre audeat? Quum enim inter vtriusque perſonam, vitae genus conditionemque, multum imo plurimum ſit diuerſitatis, *) ex ſolo nomine quod vnum idemque vtrique eſt, ex Romanorum legibus, apud nos obtinentibus, nec in aliis locis deriuari quidquam, nedum argumentum leuis notae maculae, germano carnifici inurendae, peti poteſt. Qui igitur illam levis notae maculam reuera exiſtere perſuadere nobis volunt, quo pacto aliter, quam ex legibus vere germanicis ſiue conſuetudinibus, poſt inductum in Germaniam ius romanum comprobare id poſſint, ego quidem non video.

 Quod

*) Egregie id demonſtratum eſt a Viro Perilluſtri atque Conſultiſſimo *H. P. Schloſſero*, reipublicae Moenofrancofurtenſis Senatore graviſſimo, *in der vorläufigen Beantwortung, Ergänzung und Widerlegung der von den Phyſikern und Aerzten zu Frankfurt entgegen des daſigen Scharfrichters Sohn, Joh. Michael Hoffmann, der Arzneiwiſſenſchaft Doctorn und den daſigen ganzen hochanſehnlichen Rath, in den Druck gegebenen Beſchwerungs-Schrift.* Frf. 1768. §. 17.

Quod ipſum adeo MEISTERVM non praeteriit, vt verbis hiſce haud obſcure indicat: „*Mit Einführung der fremden Rechte — — angewendet.*„ Quibus praemiſſis ipſius ea de re opiniones omnes et ſingulas, facillimo negotio refutari poſſe exiſtimo.

13. Quod ad ius ciuitatis attinet, inter romanum et Germanorum carnificem, quamplurimum eſſe diſcriminis ipſe MEISTERVS negare non audet. Hunc vero, cui ius ciuitatis in Germania aſſerit, nihilo minus tamen ab opificum collegiis vult eſſe excluſum. Quod quidem opifices ipſos olim deſideraſſe, ac etiamnum deſiderare me quidem non fugit. Sed legem conſuetudinemue aliquam ad eam rem velim afferri probandam. Statuta opificum, ait MEISTERVS, quae carnificem nonniſi poſt mutatum vitae genus impetratamque legitimationem admittunt, pro eiusmodi conſuetudine aperte militant. At quaenam, quaeſo, ſunt illa ſtatuta? Conditane cum ſuperioritatis territorialis confirmatione, quae ex concluſo imperii a. 1731. §. I. ſemper accedat neceſſe eſt. Fac etiam, carnificis ſtatuto aliquo vel nominatim factum eſſe mentionem, vel tacite eundem intelligi, num conſuetudinem iſtam omnium Germanorum eſſe communem inde efficitur? Illud etiam, quod maioris pretii fuerit ius ciuitatis apud Romanos, quam apud nos, nec vniuerſe affirmari poteſt, nec eſt huius loci. Nam quis eſt, qui neſciat, ius ciuitatis in permultis, liberis praeſertim imperii ciuitatibus, rem maximi momenti et vnicum praecipuarum immunitatum eſſe fontem, adeo vt ciues et peregrinos immane quantum differant. Quodſi vero largiamur etiam, MEISTERO nonniſi de iure ciuitatis minus pleno fuiſſe ſermonem, tamen non ad quantitatem, ſed ad qualitatem priuilegiorum hic reſpici, in aprico eſt. Atque ob id ipſum, quod leuis notae macula carnificis ad vxorem libe-

liberosque eius non pertinet, quum eadem tamen iubente id §. 4. concluſi imperialis, ad excoriatoris liberos, ad ſecundam vsque generationem ſit transferenda, carnificem ea liberare nullus dubito. Sic enim argumentor: quum lex imperii nonniſi excoriatorum liberos ad ſecundam vsque generationem collegiis opificum excluſos eſſe velit, *omnesque* alios, quemcunque tandem quaeſtum aut vitae inſtitutum ſequantur, ea re affici vetet, certiſſime ex eo apparet, carnifices non eadem, qua excoriatores, macula adſpergi, neque vocabulo *Schinder* carnifices comprehendi. Sin minus, neque horum, ſicut excoriatorum liberi ad opificum collegia admitti non poſſent, quod ipſe tamen MEISTERVS negat, eademque ipſa re indicat, minus apte cohaerere, quae de carnificum leuis notae macula tradidit. Omnia igitur, quae de carnificum filiis a profeſſione artium liberalium et illiberalium, honoribus academicis non arcendis, de filiabus eorum honeſtis maritis nuptum collocandis, impertiendis iisdem, aeque ac aliorum honeſtorum parentum liberis, litteris natalitiis profert, eiusmodi ſunt, vt totam eius de carnificum leuis notae macula rationem euertant.

14. Alterum argumentum, quod MEISTERVS ab excluſione carnificis a conſortio coetibusque perſonarum honeſtarum petit, plebeculae, nunc magis, nunc minus inſanientis *), moribus praeiudicatisque opinionibus nititur, et peculiaribus Doctorum quorundam ſententiis, quae quam ſint leues et futiles, quum primo ſtatim obtutu appareat, fuſius

 eas-

*) Imo interdum ita, vt *Gracchus* ille, cogitantis, de quo Cicero pro Rabirio: „Sed moreretur prius acerbiſſima morte millies *Gracchus*, quam in eius concione carnifex conſiſteret, quem non modo foro, ſed etiam coelo hoc ac ſpiritu cenſoriae leges, atque vrbis domicilio carere voluerunt.„

easdem refellere animus non eſt. Indultus vero papalis anni 1517, qui carnifici Wormatienſi aditum ad ſacram coenam ſemel quotannis, idque non publice ſed priuatim concedit *), non tantam, quantam nonnulli ei tribuunt vim, mihi quidem habere et noſtrae opinioni minime aduerſari videtur. Nam quis eſt, quin ex peruerſo clericorum plebisque faſtu, quem non carnificibus ſolum, ſed aliis quoque opificibus artificibusque fecerunt, totam eam rem repetendam eſſe intelligat.

15. Tertia vero ratio, qua ad comprobandam carnificis leuis notae maculam vtuntur ſententiae noſtrae aduerſarii,**) quaeque continetur eo, quod leges imperii carnifici eiusque familiae peculiarem veſtitum praeſcribant, quo tandem modo ad eam rem valeat, plane non video. Fuerunt quidem cauſſae, cur id praeciperent leges imperii, ſatis quidem idoneae, quae vero tantum abeſt, vt ad carnificum leuis notae maculam ſint referendae, vt ex ipſis potius legis verbis appareat, certi cuiusdam habitus, quo ab aliis diſtinguerentur alii, definiendi cauſa id factum eſſe ***). Nemo igitur, qui romanas aeque ac germanicas leges id inter alia ſaepenumero ſpectaſſe ſciat, vt diuerſa ciuium genera externo cultu habituque diſcernantur, ignominiae carnifici id

*) cf. *Piſtorius*, in amoenit. hiſtor. iurid. P. VII. p. 1268 ſeq.

**) Ipſe *Leyſerus* e peculiari veſtitu fundamentum pro leuis notae macula carnifici inurenda ſumit. Spec. 647. med. 9. 10.

***) Ord. Polit. a. 1530 tit. 21. *Es ſoll auch eine jede Obrigkeit ein fleiſig Einſehens thun, daſs ſich die Züchtiger, Nachrichrer vnd Feldmeiſter oder Abdecker mit ihrer Kleidung tragen, damit ſie von andern erkannt werden mögen.*

id verterit *). Accedit, quod fatente ipſo Meistero, hae imperii leges in pauciſſimis territoriis obſeruantur.

16. Quod ad quartum argumentum attinet, nulla omnino cum carnifice inter Germanos publica munera communicari, id quidem nec legis cuiusdam verbis, nec analogia iuris in vniuerſum affirmari poteſt. Certe Meistervs neutrum comprobare potuit. Eſt quidem, non nego, inter propria quarundam vrbium et communitatum inſtituta, vt certis quibusdam honoribus muneribusque publicis arceantur carnifices; quae ſi non adſint, carnificem ad honores publicos adſpirantem nemo reiiciet. Certe ex excluſione eius, quum non tam ob maculatum vitae genus, quam ob decorum imaginarium fiat, nullo modo efficitur adhaerere ipſi leuis notae maculam legibus comprobatam. Ecquis enim neſcit, ob eandem rationem et alios homines; v. c. incolas in ſpecie ſic dictos — *Beiſaſſen* — quos tamen nemo facile leuis notae macula laborare exiſtimat, certis quibusdam muneribus e. g. dignitate ſenatoria, conſulari etc. arceri.

17. Quod quinto loco aduerſus eam, in qua me eſſe profeſſus ſum, ſententiam moneri ſolet, et ex legitima a fratre carnificem inſtituente, fratribus relinquenda petitur, de eo infra, quum ad effectus leuis notae maculae peruenerimus, diſſerendi locus erit.

18. Sextum argumentum ita, ſi quid ſentio, comparatum eſt, vt refutatione haud egeat. Quicunque enim ex ſepa-

*) R. I. a. 1495. Sect 8. §. 40. 1497. §. 8–16. 1498. § 39. 1500. art. 13. §. 1. Ord. Polit. a. 1530. art 9–22. Ord. Polit. a. 1548. art. 9–14. Ord. Polit. a. 1577. tit. 9–14. cf. laudat. *Vorläufige Beantwortung &c.* §. 23. 28.

ſeparatis carnificis aedibus leuis notae maculam eius deriuare velit, nae is permultis aliis quoque artificum opificumque generibus *) quos politica publica, ſaltem ſi bona ſit, extra pomoerium artem ſuam exercere iubet, eandem adſpergat neceſſe eſt. Quam vero Meisterus huius ſeparationis rationem reddit, ea talis eſt, vt leuis notae maculam carnificis nequaquam illi ſuperſtrui poſſe, cuiuis facillimum ſit intellectu. Hoc omnibus notum eſſe arbitror, vnum eundemque paſſim eſſe virum, qui et carnificis et excoriatoris perſonam gerat **); quod quidem ſi fiat, carnificem, qua carnificem, iurium ſuorum iacturam facere, pro excoriatore haberi, ideoque leuis notae macula laborare dubitari non poteſt.

19. Omnino id monendum eſt, quod cuiuis, Meisteri argumenta leuiter inſpicienti patet, egregie in eo erraſſe, eoque ipſo totius diſputationis ſuae robur eneruaſſe virum non ita pridem pie defunctum, quod Romanorum Germanorumque carnificem pro vno eodemque ſemper habuerit, et quaecunque a Romanis, inter quos longe tamen alia ac apud nos carnificum eſſet conditio, in odium illorum conſtituta, ad noſtros quoque accommodare voluerit. Quamuis diffiteri nolim, ea tempeſtate, qua ſuperſtitioſe adhuc ſuſciperent Germani iura Romanorum, et in ipſa patria patriorum inſtitutorum plane eſſent rudes, omniaque ſua ad normam et quaſi regulam Romanorum diiudicarent, quae pro leuis notae macula facerent carnificis, haud quaquam defu-

*) E. g. cerdonibus: Το δε βυρσοδεψειν, πασι πονηρον. νεκρων γαρ απτεται σωματων ο βυρσοδεψης, και της πολεως απῳκισαι. *Artemidorus* l. I. c. 53.

**) *Meiſterus*, l. c. cap. 6. §. 3.

deſuiſſe argumenta. Quam ad rem multum etiam contulit ius canonicum, cui hic quoque, ſicut in permultis aliis locis, ſtolidiſſimae vulgi praeiudicatae opiniones, ſi non originem, ſaltem incrementum debent, quodque carnificem irregularitate notando, a capeſſendis ordinibus eccleſiaſticis eundem arcebat *). Quae quum ita eſſent, etiam opificum collegia aliaque hoc genus ſodalitia, puritatem ac honeſtatem, neſcio quam, ſomniantes recuſarunt carnifices recipere. Quem ergo clerus aditu intercluderet, eum quoque ab opificum corporibus fuiſſe reiiciendum: quis ita quaeſo argumentabitur? Praeterea, quod caput huius rei eſſe puto, Meistervs ſola eruditorum quorundam, non legum, a quibus hic plane deſtitutum ſe vidit, auctoritate ſententiam ſuam tueri conatus eſt. Quum vero eorum, qui contrarium ſequuntur, maior non ſolum inſigniorque ſit numerus, ſed, vt ex ſupra dictis patet, leges etiam, nulla omnino obſcuritate laborantes, ei rei patrocinentur, totam Meisteri ſuper ea re argumentationem nulla idonea ratione poſſe confirmari, quis eſt, quin videat? — Sed de carnifice haec ſufficiant! Nunc de illegitime natis quoque diſpiciamus.

20 Ad hos quod attinet, Perilluſtris ac Generoſiſſimus Liber Baro de Selchow, in Elem. iur. germ. priu. **) rationibus quidem haud contemnendis a ſententia communi receſſit, eorumque leuis notae maculam non in lege aliqua, ſed tantum in erronea praxi, Doctorum opinionibus ſuffulta, fundamentum habere, ideoque omnibus legitimis rationibus deſtitui, atque ius prouinc. Sac. ***) errare, nec legem effice-

*) cap. 5. 9. X. ne cler. ſecul. negot. c. 4. X. de rapt. c. 10. X. de exceſſ. prael.

**) §. 89. (209.) ***) l. 38.

efficere contendit, praeſertim quum hodie officiis publicis ex praecepto adeo legis imperii admouerentur *). Acceſſiſſe tamen propius ad communem ſententiam *Vir Summus* in diſſertatione iam (ſaepius excitata **) videtur, vbi ſuam de leuis notae macula illegitime natorum ſequentibus fere proponit. — Liberi cum naturales, tum ſpurii iure romano nulla macula laborabant, quum dignitatum adeo publicarum ſpe non fuerint excluſi ***); ſecus id ſe moribus Germanorum quoad ſpurios ſaltim priuatorum habuit. His enim, praeterquam quod in proprietate olim regis et poſtea principum fuerint, in eorumque ſine prole defunctorum bona fiſcus, iure baſtardiſae ſ. baſtardagii ſuccederet, leges quoque Germaniae medii aeui maculam natalium adſpergebant †). Iam quamquam id ab omni aequitatis ſenſu longiſſime abſit, *conſtantiſſimo tamen vſu fori priſtina haec iuris diſciplina conſeruata eſt.* Hinc necdum illegitime liberi ad dignitatem aſſeſſoris Camerae ††) vel Senatoris aulici imperii †††) admittuntur; in quibusdam etiam prouinciis a dignitate iudicis vel iure adeo ciuitatis excluduntur. Similiter in collegia opificum, non niſi *legitimatione impetrata* admitti, vſu quotidiano edocemur ††††). — Caeterum ceſſat hodie ſpuriorum ſeruitus, niſi ex legibus aut obſeruantiis prouincialibus contrarium adpareat. 21.

*) Concluſ. imp. d. a. 1731. §. 11.

**) Sect. 2. § 12 et 13.

***) L. 2. § 7. ff. de decurionibus et filiis eorum.

†) Teſtis Speculator Saxo l. c. eſt; his verbis: *alle die vnehlich geboren ſind, die ſind alle rechtlos.*

††) C. G. O. P. 1. tit. 3 §. 2

†††) Ord. Sen. imp. aul. tit. 1. §. 1. — *guten Nahmens vnd Herkommens.*

††††) Ita nunc interpretatur Concl. imp. d. a. 1731. Perilluſtris L. B. *de Selchow.*

21. Leuis notae maculae ſpuriorum haud obſtat concluſum imperii d. a. 1731. loco ſupra citato, quo excluſio ab opificiis ad excoriatores tantum reſtricta fuit, quum mens legis imperii, prout ex diſertis eius verbis intelligitur non fuerit alia, quam vt *intuitu opificii* nullum hominum genus, cuiuscunque ſint artium liberalium illiberaliumque profeſſionis, ſi ab excoriatoribus receſſeris, laboret. Nec aliud leuis notae maculae fundamentum, quod ad natales ſpurios, lex imperii tetigit, aut tangere voluit. Quapropter ex ipſius verbis contra leuis notae maculam ſpuriorum nihil prorſus inferri poteſt, quum aliunde eius in iure germanico non ſolum medii aeui *), ſed et hodierno, quo illud ad hunc vsque diem conſeruatum eſt, fundamentum, repetatur. Accedit haec quoque ratio, leuis notae maculae germanicae quam volumus formam in iure canonico, quo liberi illegitimorum natalium *irregularibus* accenſentur, atque ab ordinum clericalium ſuſceptione, conſortioque cleri prohibentur **), ſuo effectu haud deſtitui ***). Quin illegitime natos, quamuis per ſubſequens matrimonium ſint legitimati, Cardinalium S. R. E. dignitate excludat Conſtitutio *Sixti V.* ****).

22. Denique aliae adhuc occurrunt in ſcriptis Doctorum leuis notae maculae cauſſae, quas inter vagum incertumque vitae genus et reprobata religio praecipue memorari ſolent. Sed ſi dicendum quod res eſt, partim ICti contra hoc genus homines duriora, quam leges ipſae, ſtatuunt, iura denegando, quae leges iisdem concedunt, partim non intelligunt eundem effectum ex compluribus, iis-

 que

*) Spec. Sax. l. c.

**) c. 14. 18. X. de filiis presbyter.

***) cf. §. 19.

****) *Paul Ioſeph a Riegger*, inſtitutiones iur. eccleſ. T. II. p. 115.

que multum inter ſe diuerſis cauſſis oriri poſſe. Ad primum quod attinet, id quidem reor extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe, hominem nullibi domilium habentem, ob id ſolum leuis notae macula non poſſe adſpergi; neque intelligentiorem aliquem vel *Zingaros* *) cum vulgo macula quadam quam aliunde non contraxerint affecturum, vel omnem, cuiuscunque demum ſit generis, labem ignominiamue pro leuis notae macula ſtatim declaraturum eſſe confido.

23. Quoad homines religioni reprobatae addictos, Iudaeos inter atque Chriſtianos diſtinguendum eſſe apparet. Sunt enim qui eos leuis notae macula, et infamia adeo laborare, et ob id ipſum iuris communis nullo modo participes, nec idoneos eſſe qui teſtimonium dicant contra Chriſtianum, vel ad iurisiurandi religionem admittantur, firmiſſime ſibi perſuadent. At eosdem non communi ſolum **), ſed particulari interdum iure ***) a teſtimonio contra Chriſtianum dicendo, et quae id genus ſunt alia arceri, nec priuilegiis, indigenatus germanici, quippe quo vtique carent, gaudere arbitror ****); tamen leuis notae maculam eam, cuius

*) Nouiora de iſtiusmodi hominum origine, indole, conditioneque indaganda ſtudia, credo, hoc illis conciliabunt, vt aequius quam olim vulgus ſentiamus. cf. inter alios *H. M. G. Grellmann, hiſtoriſcher Verſuch über die Lebensart vnd Verfaſſung der Zigeuner.* Deſſ. vnd Leipz. 1783 8.

**) L. 21. C. de haeret. c. 26. C. II. Q. 7. *Ziegler*, de iur. Iud. c. 6. §. 3 in fin. *Ettling*, de Iudaeorum Moenofrancofurtenſium conditione duriori prae iuribus ac incolis chriſtianis. Gieſſae 1751. §. 20 ſeq. ibique allegati.

***) Reform. Moenofrancof. P. I. tit. 33. §. 11.

****) *de Cramer* Wezlariſche Nebenſt. P. 3. p 94 ſeq. L. B. *de Selchow*, Elem. iur. germ. priu. §. 214. *Ettling*, l. c. §. 8.

cuius quidem fundamentum ius commune ſit, vere inde deriuari poſſe nego. Cuius rei complures mihi ſuppetunt rationes. Primum enim Iudaeis cum Chriſtianis, niſi quibusdam in locis aliter viſum ſit legislatoribus, eſſe communia iura *) dubitari non poteſt. Deinde non quamlibet a certis quibusdam iuribus excluſionem ſtatim inter leuis notae maculae ſpecies puto referri debere, quum illa demum, quae ex contemtu publico ducit originem — §. 4. — eo pertineat, leges vero, quibus Iudaei immunitatibus quibusdam priuantur, vel rationibus politicis, ex quibus Iudaei indigenatu carent, vel alio v. c. ſuſpicione fraudis et vſurariae prauitatis nitantur fundamento. Quod quidem de omnibus iſtis et communis et particularium iurium conſtitutionibus, quae Iudaeos, quibus cum Chriſtianis negotium ſit, in quibusdam cauſſis deterioris conditionis eſſe iubet, affirmare auſim, eoque vt ſuſpicionem illam indeque natam legis diſpoſitionem pro *vero praeſenteque contemtu publico* h. e. leuis notae macula habeam, compelli minime poſſum **).

Chriſtiani vel religioni in imperio receptae, vel alii cuidam nomen dant. Prioribus ipſum P. W. inſtrumentum ***) aequa-



*) L. 8. C. de Iud. *Kayſer*, de autonomia Iudaeorum. Giſſ. 1736. §. 43. L. B. *de Selchow*, l. c. Neque hic inter Iudaeos receptos et non receptos diſtinguo, quum non recepti Iudaei ſaltem peregrinorum iure vtantur; *de Selchow*, l. c. § 93. peregrinos autem aequali cum indigenis iure gaudere, et ius indigenatus in complexu tantum iurium ſpecialium atque determinatorum hodie conſiſtere, ſatis notum eſt.

**) *Heisler, Beantwortung der Frage: Ob die Zulaſſung eines Judeneydes wider einen Chriſten bedenklich ſei?* exſtat in eius *Juriſtiſchen Abhandl. &c.* Halle 1783.

***) Art. 5 § 35. Neque tamen huc iura ad certum locum adſtricta e. g. ius Magiſterii, pertinent, de quo in cauſſa *Mülleriana* Moenofran-

*aequalia* iura clariſſimis verbis tribuit, vt hoc quidem in loco de leuis notae macula ne per ſomnium quidem cogitare quis poſſit. Ad poſterius vero genus quod attinet, v. c. Mennonitarum aliorumque, quantacunque ſint per P. W. *) confirmata ſuperioritatis territorialis iura, quales demum cunque limites iuris reformandi territorialis, ea de re diſputare hoc loco nihil refert. Poſita tamen receptione id omnino tenendum eſt, eiusmodi ſectarum homines ad iura ciuilia communia, ad quae quiuis incola et ciuis adeo, modo ciuitatis pleno iure donati fuerint, adſpirare poſſe niſi limitationi iurium in receptione ſibi factae adquieuerint.

24. Supereſt, vt de effectibus leuis notae macula diſſeramus. Atque hi vel in iure communi, vel in iuribus particularibus fundamentum habent. Omnino vero, antequam de ſingulis agam, vniuerſale praemittendum eſt hoc principium, nullos leuis notae maculae effectus odioſos eſſe, niſi quos lex ipſa definiuit. Qua de re vel inde conſtat, quod illa eum ipſa qui laboret, non ſicut infamia, fonte

nofrancofurtenſi ſatis controuerſum eſt. — Scripta huc pertinentia fere omnia recenſet Perill. *Pütterus, in der Litteratur des deutſchen Staatsrechts* P. 3. § 971. quibus inter alia addere iuuat; *Gazert* Pr. de cura rei opificiariae Illuſtris Magiſtratus Francofurtani arbitrio iam ab antiquis inde temporibus vnice relicta. Gieſſ. 1773. et auctorem articuli — *annus decretorius* — *in der deutſchen Encyclopaedie*, quae Francofurti apud Varrentrapp filium et Wenner, prodiit. Qui quidem auctor anonymus, mihi vero bene notus et ad cineres vsque maximo honoris cultu proſequendus, tanquam fautor ſyſtematis, in quo prima regula *libertas* eſt, ſontentiam propugnauit a defenſoribus *Mülleri*, iam olim propugnatam. At non omnium illius operis auctorum, ſed ſingularem tantum laudati viri ſententiam hanc eſſe, certiſſime ſcio.

*) Art. 7. §. 3. in fin.

fonte aliquo iurium ciuilium priuat, ſed in quibusdam tantum cauſſis contemtu publico afficit. v. §. 4.

25. Inter effectus leuis notae maculae in iure communi fundatos primo loco ex diſpoſitione iuris feudalis *) nominanda eſt excluſio illegitime natorum a ſucceſſione feudali, quam et tum, cum legitimatione per ſubſequens matrimonium macula ceteroquin abſterſa ſit, iis adhaerere a multis defenditur, aliis textum allegatum ad legitimatos per reſcriptum principis reſtringentibus, aliis demum legitimatis quibuscunque, modo tempore delatae ſucceſſionis legitimatio iis iam obtigerit, ſucceſſionis feudalis ius haud denegantibus; de qua controuerſia iuris longobardici Doctores vberius de illa exponentes legere eſt.

26. Ad effectus in iure communi fundatos porro pertinet, vt leuiter notati ab omnibus collegiis, in quibus honeſtae nonniſi profeſſionis legitimorumque natalium homines ex vi iuris communis vel ſpecialis collegii conſtitutionis recipiuntur, maneant excluſi. §. 20. Quibus et excluſio a dignitate aſſeſſoris camerae et conſilii imperialis aulici accedit. c. §.

27. Omnes vero iuribus particularibus obſeruantiaque definitos effectus percenſere nec inſtituti noſtri eſt, nec res facile perficienda. Exempla quidem iam ſupra §. 20. in medium prolata ſunt. Id ſolum notari velim, ſtatutis collegiorum, quae legitimatis adeo per ſubſequens matrimonium aditum praecluſere **) concluſo imperii de a. 1731.***) dero-

*) II. F. 26. § 11. Ius feud. Alem. cap. 1. Ius feud. S. art. 3. Vet. auct. de benef. c. 1. § 4. cf. quoque *Pütter. in der Litteratur des deutſchen Staatsrechts* P. 3. § 1529. et ibi non allegatus *Schorcht, von der Unfähigkeit der Mantelkinder zur Lehnsfolge.* Jena 1780. 8.

**) *I. H. Boehmer* introd. in ius Dig. p. 43. ***) § 11.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0033-4

derogatum eſſe, vtpote quo prohibetur, ne in ipſis collegiis inter legitime natos et legitimatos in horum odium aliquid diſcriminis ſtatuatur.

28. Ex quibus omnibus prono fluit alueo, leuiter maculatos, teſtes eſſe claſſicos ſiue omni exceptione maiores*) quum iis fides nulla lege ſaltim communi ademta aut imminuta fuerit; neque fratribus contra eos querela inofficioſi teſtamenti concedendam**), et quae ſunt huius generis alia.

29. Atque haec fere ſunt quae de leuis notae maculae ratione, de perſonis ea laborantibus, et de effectibus dicere habuimus. Reſtat, vt de modo eam tollendi, ſiue de legitimatione exponam; id vero argumentum, quum nimis late pateat, in aliud tempus differre cogor. In animo quidem primo fuit tractatiunculam de legitimatione, tam ſecundum romanum quam germanicum ius conſiderata, ſpeciminis inauguralis loco offerre; quum vero limites diſſertationi academicae praefixi id prohibeant, nunc quidem id omitto, peculiari, ſi quae de leuis notae macula breuiter argumentatus ſum, idoneis harum rerum arbitris non plane diſplicuiſſe videro, libello ſeruaturus.

*) Diſſentit *Leyſer* Spec. 52. med. 8.

**) cf. I. F. *Ruppel*, reipublicae Moenofrancofurtenſis Praetoris Magnifici atque Excellentiſſimi et in ampliſſimo Scabinorum collegio Praeſidis Grauiſſimi, Diſſ. inaug. de querela inofficioſae donationis fratrum. Goett. 1751. §. 14. et Celeberrimum academiae Lipſienſis Anteceſſorem *Püttmann* de querela inofficioſi teſtamenti fratribus atque ſororibus contra ſpurios haud competente. Lipſ. 1772.

## CORRIGENDA

pag. 8. lin. 14. l. ex ſolo contemtu publico, vel hunc etiam ex illa deriuare conantur.

pag. 20. lin. 20. factum eſſe mentionem l. factam.

pag. 28. lin. 3. domilium l. domicilium.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0035-5

Marburg, Diss., 1775-88

ULB Halle 3
005 359 880

VD18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0037-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0038-2

17
366
1784, 2

# E LEVIS NOTAE MACVLA
## SECVNDVM IVS GERMANICVM
DISSERTATIO

QVAM
*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO*
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE
ET DOMINO
ONO FRIDERICO II
HASSIAE LANDGRAVIO RELIQVA
*LLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE*
PRO
*LICENTIA*
VMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CONSEQVENDI
AD DIEM NOVEMBR. MDCCLXXXIV
PROPOSVIT DISPVTANDAM

IOANNES FRIDERICVS PLITT
RINTELIA HASSVS.

MARBVRGI CATTORVM
EX OFFICINA BAYRHOFFERIANA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764382-p0039-1